

[Mense octobris] Imperator de Apulia venit ad Balnea Puteolana..... Ipse mense novembris venit Suessam, et inde Gajetam se confert, et eisdem gressibus Capuam redit, ubi ad suam excusationem ad orbis principes et in Alemanniam litteras mittit (1). Interim omnes regni sui comites Capuam convocat ibique rexit curiam generalem, statuens ut singuli feudatarii darent de unoquoque feudo octo uncias auri et de singulis octo feudis militem unum in proximo futuro mense Maii in quo ad terræ sanctæ subsidium transfretare disponit. Solemnem vero curiam apud Ravennam (2) statuit mense Martii celebrandam. Tunc prudentem virum magistrum Roffridum de Benevento mittit ad Urbem cum excusatoriis suis quas idem magister publice legi fecit in Capitolio de voluntate senatus populique Romani. — RICC. DE S. GERM. *Chronic. ad ann.*

Suessam,  
Gajetam,  
Capuam,  
novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, magistro justitiano, justitiariis, camerariis, cæterisque officialibus mandat ut clericos civitatum Scalæ et Ravelli in nullo de caetero indebite aggravent, sed omnes eorum immunitates et privilegia conservent.

Capuae,  
novembri.

(Edider. UGHELLI, *Ital. Sacr.* tom. VII, p. 331. — Pansa, *Storia d'Amalfi*, tom. II, p. 40 : transumpt. et vidim. à Mattheo Scalensi episcopo, Bartholomei de Afflicto filio, ann. 1228, 3 januarii, indictione prima, in civitate Salarum.)

(1) Quas infra exhibemus, 6 decembris hujus anni, pag. 37 et seqq.

(2) Cf. CONRADI ABBAT. URSBERG. *Chronicon* p. 325, ad ann. 1228.